



sculptae, et quadranguli, et trianguli, sicut si essent astrolabia. Et credo, quod propter aliquam superstitionem antiqui sic habuerint. Domus haec tempore passionis Christi fuit grandis, multorum habitaculorum, sed iam est satis stricta ab intra, locus tamen flagellationis est testudinatus, et fuit. Sed nunc projiciunt inquilini domus omnes immunditias et purgamenta domus in eum sanctum locum. In illa domo fuerunt columnae illae VII sudantes, de quibus dictum est supra fol. 113. A. Et in eam ascendebarunt per marmoreos gradus XXVIII. Et cum Dominus sursum duceretur captivus cum furia et violentia, in gradu XI. cecidit supra sanctam suam faciem, ita, quod de naribus et ore sanguinem emisit, qui super gradum fluxit. Hi gradus, ut dicitur, translati sunt a Jerusalem Romam, et positi ad sanctum Johannem Lateranensem pro ascensu ad sancta sanctorum, et quotiescumque quis per eos adscendit, indulgentias plenariae remissionis acquirit. In maxima autem habentur veneratione hi gradus, per quos peregrini non ascendunt nisi super genua denudata, et dum ad XI gradum veniunt, ibi se prosternant, et diutius devotiusque orant, et locum deosculantur, ubi signum effusi sacri crux cernitur; qui locus est ferreis cancellis circumdatus. Non solum autem indocti et simplices id agunt, sed domini Cardinales et doctissimi per gradus illos modo praedicto pro indulgentiis ascendunt, et eos in domo Pilati stetisse praedicant.

Domus regis Herodis, in qua Christus fuit spretus
et illusus.

Ende

Anfang

A domo praedicta recessimus, et per vicum progressi venimus ad alium vicum, qui de illo sursum ducit per ascensum, et derelicto vico, per quem de monte Calvariae descendamus, vicum illum ascendimus, et ad unam magnam domum venimus, quae fuit domus Herodis regis, in quam Dominus Jesus ductus fuit a Pilato per illum ascensum, in qua spretus fuit ab exercitu Herodis, et veste alba illusus, et multa perpessus, ut dicunt Evangelistae. Dicitur, quod vestis Christi alba, qua in domo Herodis illusus fuit, erat ad modum